

ENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

Ph.D. Level Medieval Latin Examination

13 April 2005

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. Bede on conflicting Easter celebrations

His temporibus quaestio facta est frequens et magna de obseruatione paschae, confirmantibus eis qui de Cantia uel de Gallis aduenerant, quod Scotti dominicum paschae diem contra uniuersalis ecclesiae morem celebrarent. Erat in his acerrimus ueri paschae defensor nomine Ronan, natione quidem Scottus, sed in Galliae uel Italiae partibus regulam ecclesiasticae ueritatis edoctus. Qui cum Finano conflagens multos quidem correxerat uel ad sollertiores ueritatis inquisitionem accendit, nequaquam tamen Finanum emendare potuit; quin potius, quod esset homo ferocis animi, acruiore castigando et apertum ueritatis aduersarium reddidit. Obseruabat autem Iacob diaconus quondam, ut supra docuimus, uenerabilis archiepiscopi Paulini, uerum et catholicum pascha cum omnibus, quos ad correctiorem uiam erudire poterat. Obseruabat et regina Eanfled cum suis, iuxta quod in Cantia fieri uiderat, habens secum de Cantia presbyterum catholicae obseruationis, nomine Romanum. Unde nonnumquam contigisse fertur illis temporibus, ut bis in anno uno pascha celebraretur, et cum rex pascha dominicum solutis ieiuniis faceret, tum regina cum suis persistens adhuc in ieiunio diem palmarum celebraret.

2. Dante explains why the vernacular is better

Sed quia unamquamque doctrinam oportet non probare, sed suum aperire subiectum, ut sciatur quid sit super quod illa versatur, dicimus, celeriter attendentes, quod vulgarem locutionem appellamus eam qua infantes assuefiunt ab assistentibus cum primitus distinguere voces incipiunt; vel, quod brevius dici potest, vulgarem locutionem asserimus quam sine omni regula nutricem imitantes accipimus. Est et inde alia locutio secundaria nobis, quam Romani gramaticam vocaverunt. Hanc quidem secundariam Greci habent et alii, sed non omnes: ad habitum vero huius pauci perveniunt, quia non nisi per spatium temporis et studii assiduitatem regulamur et doctrinamur in illa. Harum quoque duarum nobilior est vulgaris: tum quia prima fuit humano generi usitata; tum quia totus orbis ipsa perfruitur, licet in diversas prolationes et vocabula sit divisa; tum quia naturalis est nobis, cum illa potius artificialis existat. Et de hac nobiliori nostra est intentio pertractare. Hec est nostra vera prima locutio.

3. William of Tyre on the origins of the Turks

Gens igitur Turcorum sive Turcomannorum – nam ab eodem habuerunt originem – ab initio septentrionalis fuit. Dicti autem sunt, prout ipsi asserunt idque ipsum etiam in nostris continetur cronicis, a quodam eorum duce Turco nomine, sub quo post excidium Troianum ad regiones Yperboreas se contulerunt, ubi armorum usu relicto procurandis gregibus et armentis vacabant, gens inculta penitus et certam non habens sedem. Vagabantur enim et passim circumferebantur pascuorum sectantes commoditates, non habentes urbes vel opida vel alicubi manentem civitatem. Volentes autem proficisci, incedebant simul qui ex eadem erant tribu, aliquem de maioribus contribulium suorum habentes quasi principem, ad quem universe que in eadem simul tribu emergebant referebantur questiones cuiusque dicto ab utraque dissonantium parte parebatur cuiusque non impune licebat examen declinare. Migrantes autem universam secum suam transferebant substantiam, equicia, greges et armenta, servos et ancillas – nam in his eorum omne consistebat peculium – nusquam agriculture dantes operam, emptionum et venditionum ignorantes contractus, sed solis permutationibus vite sibi comparantes necessaria.

4. Innocent III sends a legate to absolve King John

Comitibus, baronibus, aliisque magnatibus per Angliam constitutis. Quanto specialius regnum Anglie ad Romanam ecclesiam dinoscitur pertinere, tanto ferventius aspiramus ut per nostre sollicitudinis studium grata prosperitate letetur. Cum igitur ad reconciliationem regis ac regni venerabilem fratrem nostrum Tusculanum episcopum, apostolice sedis legatum, quasi pacis et salutis angelum destinemus, virum utique gratum deo et acceptum hominibus, quem inter alios fratres nostros merito sue religionis et honestatis speciali diligimus caritate, universitatem vestram rogandam duximus et monendam, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus eum recipiatis benigne ac honeste tractetis, ipsius monitis et mandatis humiliter intendentes, ut bonum pacis tam regno quam sacerdotio maxime necessarium feliciter consummetur, scientes quod cum per eum illustris rex vester iuxta mandatum nostrum fuerit absolutus, omnimodam ei gratiam et plenum intendimus exhibere favorem. Unde volumus et mandamus ut vos ei fidelitatem devotam et fidelem devotionem exhibere curetis, ad defensionem et exaltacionem ipsius regni prudenter et patenter assistentes eidem.